PAUCA DE EPIDEMICORUM ATQUE EPIZOOTICORUM MORBORUM...

Giovanni Rizzini



PAUCA

DE EPIDEMICORUM ATQUE EPIZOOTICORUM

MORBORUM ALTERNA CONSTITUTIONE

QUA INAUGURALIS DISCEPTATIUNCULA

AUCTORE

JOANNE RIZZINI

CREMONENSI

MEDICINAE LAUREA


IN I. R. PATAVINO ARCHIGYMNASIO

HONESTANDO

PATAVII

EX OFFICINA VALENTINI CRESCINII

MDCCCXXIX





Studiis in re medica jam alibi absolutis, Professores sapientissimi, oportebat mei profectus tentamen publici juris facere, legum academicarum nutu supremo praescriptum. Messis rerum medicarum vastissima vetat, juvenem inexpertum cuidam argumento libere sese dicare, ambagibusque circumdat, quapropter timet ne forte in illud incidat propriis viribu, nequaquam aptatum. Tamen Zoojatriae studiis tempore praegresso libenter incumbens mihi suasus sum, optimum fore studium epidemicorum morborum supra epizooticos, et viceversa influxum demonstrare, ut contagiorum quorumlibet diffusio sanis legibus praepediatur. Tali modo facile est deducere, hunc meum laborem magis historicis, quam plane medicis, subsidiis indigere; qua ratione ne disceptatio mea arida narratio fiat, illam animadversionibus de proprietate contagiorum, de prophylaxi, atque therapia locupletare conabor.

Quamquam auctores non pauci de re medica optime meriti contagionum variarum indolem descripsissent, ac praecipue de pestis orientalis characteribus disseruerint, tamen nulli, vel paucissimi, inveniuntur, in quorum scriptis probetur perspicue, morbos aliquot epidemicos post epizooticos non raro, et viceversa grassari; quin imo desiderandum erat observationes quam plurimas posteritati traditas fuisse, quae medicis indicarent hujusmodi morbos in epidemicos aliquando reapse desinere. Hujus defectus in medicorum scriptis causa in id consistere existimamus, quod temporibus praegressis medicinae comparatae studium perperam medici negligerent; qui error magno medicinae humanae discrimine tyrannicum imperium tenuit, si paucos scriptores excipiamus, quorum studia ad medicinam universam, utilitate certe summa, conversa fuere.

Si exacte medicae scientiae progressus perpendamus, vidimus anatomes, ac physiologiae comparatae notionem pathologiae humanae cognoscendae quam maxime profuisse; praesertim si animum ad primae medicinae tempora convertamus, in quibus tot vulgi errores anatomes humanae studia impediebant. Leges enim vitae organicae quae in mammalium classe inferiore detectae fuere, quaeque fere similes illis quibus humanum corpus movetur ac regitur, prima medicinae theoreticae elementa suppeditarunt; immo etiam physiologiae comparatae experimenta, quae in homine adhuc vivo institui nequeunt, valde pro analogia profuerunt et prosunt in investiganda praecipue remediorum actione, therapiae humanae conficiendae numquam satis perpensa. Ecquis non

videt contagii vaccini in corpore humano insitione ad variolarum Arabiae invasionem praecavendam, a pathologiae comparatae studio pendere, cujus utilitas ex immortalis *Jenner* observationibus redundans in humanae speciei augmento, et incolumitate facillime conspeximus?

Nisi utilitatis aliud quam allatum, haberemus exemplum, sane hoc sufficeret, ut medicinae comparatae studium, medicinae humanae veluti fulcimentum, statuere possimus.

Epizootici morbi quamplurimi epidemicos innumeros generarunt, et etiam nonnulli epidemici armentis, atque jumentis saepe saepius communicati fuere; cujus observationis exemplum refert cel. *Paulet* qui ex nonaginta duobus morbis epizooticis viginti et unum hominibus, atque armentis communes observavit. Neque aliorum observationes defuere, inter quos eminet Taurinensis professor *Boniva*, qui ex viginti morbis epizooticis in Italia enatis, octo eodem tempore tam hominibus quam armentis infesti grassabantur. Quapropter concludere fas est, populares morbos, nec non epizooticos plerumque easdem agnoscere causas, phaenomena prorsus similia edere, et tandem therapeuticam methodum omnino similem exposcere.

Verum enim vero ut a primis antiquissimis temporibus populares morbos, atque epizooticos derivare possimus, sane historiam regularem eorumdem dictare deberemus, quod hujus speciminis brevitas nobis praescripta vetat. Remotiora morborum epizooticorum exempla nobis liber *Exodi* suppeditat: quum enim sub *Pharaonis* imperio *Israelitae* tenebantur,

et Ægypti populus pestilentiam in armentis, jumentis, aliisque animantibus passus est, epizootiam nonnisi fuisse concludere licet. Et ulcera, et vesicas in hominibus, ac jumentis turgentes tunc temporis enatas fuisse legimus, quibus symptomatibus certe judicare possumus, morbum ex contagio productum extitisse. Ulcera ipsa, quae saniem effundunt, contagionem propagare poterant, qua morbus epidemicus increvit. In libro *Levitici* praescriptum est, animalia munda ab immundis segreganda esse, tam morbo affecta, quam sub cadaveris conditione. Qua de re facile consequitur, illas aegritudines merum contagium effudisse, quod per simplicem contactum humanae speciei sese propagare potuisset.

Neque desunt morborum hujuscemodi historiae apud poetas, inter quos *Ovidius* epizootiam describit, quae Æginae saeviens in epidemiam conversa fuit et desinit; accedit ipsius poetae symptomatum, ac signorum accurata descriptio. *Homerus* etiam in divino poemate dirum morbum describit, qui sub ingenti calore aestivo, Trojae obsidione perdurante, armentorum atque jumentorum pergrande excidium confecit.

Pestis Atheniensis historia ex *Tucidide* morbum epidemicum simul ac epizooticum refert; exemplum fortasse unicum a Graecis scriptoribus relatum, qua ratione concludere possumus, epizootias rarissime Graeciae regiones infestasse. Non ita dicendum est de Ausoniae provinciis, in quibus pluries hujusmodi morbi observati fuere, et exempla innumera epidemiarum simul ac epizootiarum in *T. Livii Patavini, Dionysii Halicarnassei, Plutarci,* aliorumque histori-

eorum scriptis reperiuntur. *Plutarcus* in vitae *Romuli* historia narrat, feram epizootiam Romae tunc saevisse armentis, jumentis atque hominibus lethalem, cujus causam primam in aeris siccitate reposuit. *Titus Livius Patavinus*, et *Dionysius Helicarnasseus* mirificam cladem describunt prius armentorum et jumentorum, postea speciei humanae, quae post bellum *Volscorum* contra *Romanos* observata fuit; hujusque morbi tam diri apud nonnullos *Romanarum* rerum scriptores descriptio invenitur.

Ex dictis videtur, agrum Romanum potius quam aliae Italiae provincias tunc temporis hisce calamitatibus vexatum fuisse; hocque deducere fas est a *Romanorum* ipsorum moribus: nam una cum armentis habitare solebant, nec non a religiosa consuetudine animalium viscera investigandi, quod apud haruspices, et sacerdotes in solemnibus sacrificiis erat commune.

Neque ab expositis concludendum est, morbos omnes tam epizooticos quam epidemicos ab armentis et jumentis ad hominem, ac viceversa transire. Nam plures morbos armentis, ac jumentis proprios observamus, speciei humanae nequaquam communicari posse. Pro exemplo sit typhus bovilius, qui etiamsi ab iisdem causis ac typhus humanus productus, homini tamen numquam communicatur. Variolae pecudum etsi eadem epocha ac variolae Arabiae hominibus propriae detectae, ipsisque characteribus distinctae, non solum ad speciem humanam transire minime posse observantur, sed neque miasmatis vaccini insitione pecudes ipsae tuentur: quae tamen insitio homini quam maxime profuit ac prodest.

Quamobrem si de contagionibus sermo habeatur, nequaquam adoptanda est methodus, generalia principia a paucis notis peculiaribus producere; observatum enim fuit contagia longe inter se diversa legibus propriis obtemperare, iisdemque regi ac communicari. Hydrophobicum contagium, quod tam hyeme asperrima, quam aere aestuante saevit, uti ex observationibus constat cel. *Ramazzini*, ab animali hydrophobo ad hominem transit, neque simplex cutis ac vestium contactus sufficit; oportet enim, contagium ipsum cuti epidermide denudatae applicare, quoniam ab inhalantibus absorberi debet, atque in humorum circuitum duci. Exemplum contagii hydrophobici allatum sufficere potest, ut de aliis contagiis loquendo, quibuscumque leges proprias praesse intelligatur.

Dantur revera morbi nonnulli, qui ut communicari possint, contactu minime indigent, sed aeris atmosphaerici ope propagantur, et curriculum perficiunt. Neque credendum est, atmosphaeram ipsam quasi contagii alicujus vehiculum esse, id quod auctorum omnium reluctante sententia admitti nequaquam potest, et rationi repugnat: quin imo aer liber purus saepiusque renovatus contagionibus amovendis prodest, et eodem pacto propagationem morbi impedit. Liceat tamen solummodo asserere, aerem ipsum contagionibus propagandis favere, si quando iners in nosocomiis, carceribus, et stabulis pluribus animalibus contagione detentis dicatis, jaceat. Hoc in casu aer atmosphaericus contagiosis moleculis imbutus facillime morbi diffusionem praeparat. Pro exemplo sint febres *nosocomiales*, *carcerariae*, *castren-*

ses, *navales* quae omnes ex hac diffusionis ratione directe procedunt.

Vapores humorum perspirationis, respirationis, atque excretionum omnium per aerem circumambientem diffusi possunt revera elementa varia contagionum hinc inde propagare, ex quibus contagiosa infectio ab aegris ad sanos transit. Non ita verum evenit in aere atmosphaerico libero saepiusque renovato, ubi facilior spirandi facultas aegrum corpus instaurat, atque omnes corporis organici functiones exinde faciliores fiunt. Positis hisce principiis, valde conferre possunt *Guyton Morveau* atque *Smith* suffimenta, quibus gas chloridum, et gas acidum nitrosum per aerem diffusa contagii moleculas destruunt, et praesertim illas, quae magis latitant, neque ventilatione disperdi queunt.

Diximus antea, contagia nonnulla per contactum propagari posse, neque immerito. Nam contactus cutis superficiei non solum, sed vestium etiam, aliorumque, quibus contagia inhaerent, saepissime suffecit. Ille ipse, auctor qui inter classicos *Italicae* linguae scriptores summopere eminet, *Joannes* inquam *Boccaccio* pestem diram Florentiae exortam descripsit, qua perdurante, armenta et jumenta frusta linteorum per vias civitatis dispersa tangentia, statim perierunt.

Sunt etiam aliqua contagia, quae alicujus speciei propria jugiter observantur. Ita syphilis in homine, scarlatina atque morbilli, quibus reliquae animalium species eximuntur; blennorrhoea nasi (*ciamorro*) tam acuta quam chronica in equis aliisque cicuribus, scabies et carbunculi e contra tam homines, quam alia animantia afficiunt.

Suprema simplex atque securior prophylaxis in separatione aegrorum a sanis consistit, qua propagationis elementum supprimitur. Interest summopere, aerem circumambientem uti supradiximus, renovare, cadavera citius quam fieri potest, sepelire, et exhalationum dispersionem vitare. Therapeja in genere est illa, quae directe et indirecte opponitur cuique morbo a contagio producto, ad excretionem materiei contagiosae promovendam per lysim, aut crisim, juxta naturae ipsius et morbi indolis characteres.

Absolvendis quo fieri potest, absolutis, pauca haec quae exposui, fundamenta ad studium in hoc argumento perficiendum mihi praebebunt.

THESES DEFENDENDAE

I.

Pulsus et respiratio sunt tantum signa externa vitae; sine his enim vita minime esse potest.

II.

Labor et paupertas optimum podagrae medicamentum.

III.

A perfecta in sano corpore chylificatione, bona sanguificatio distributioque aequalis; hinc nutritio perfecta.

IV.

Felix, aut infelix curationis eventus si non integre, saltem pro maxima parte dependet a ratione, qua aeger primis morbi diebus tractatur.

V.

Frigus blandum mortem creat, si dormiens non excitatur.